Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1775

Quelle:
Copyright:

uit &c. Finis: *coheres naturalis eius filii domini noſtri ihesu chriſti qui eſt in ſecula benedictus amen.*

VIII. *fol.* 186. *Tractatus ſummarius valens ad confeſſionem facilius faciendam.* Initium: *Secundum Magiſtrum et doctores in 4to ſententiarum diſtinct. 16ta Tres ſunt partes vere penitentie* &c. Finis: *preces fundere neglexerit, et tantum de VII vicijs capitalibus.* Ex his verbis concludo, hanc eſſe tantum Adpendicem ſeu partem practicam praecedentis Tractatus, qui rurſus ab Autoribus *ſupracc. Nicolao de Dünkelſpühl* tribuitur, et legitur in *edit. ſuprac. fol.* 110.

IX. *fol.* 193. p. 2. *Incipit Tractatus de penitentia aſſumenda.* Initium: *Notandum quod ſecundum ſanctos principaliter ſunt ſex* &c. Verſatur maxime in meditatione poenarum inferni et mortis. Citatur in eo *Henricus de Haſſia.* Finis: *et ſic homo dampnaretur pro quibus ſe ſaluari putaret.* Non dubito *Nicolai* eſſe, licet teſtis nemo adſtipuletur.

X. *fol.* 198. Quaeſtio: *Utrum licitum ſit in eccleſia pecuniam candelam aut aliud huiusmodi offerri.* Reſpondetur: non ſolum licere, ſed eſſe meritorium, poſſeque ſubinde in obligationem abire. Finis: *ſeculari iudicio ſunt relinquendi.* Ejusdem cum prioribus autoris eſſe putem.

XI. *fol.* 199. p. 2. Tractatus *de tribus Partibus Poenitentiae.* Incipit absque titulo: *Ecce nunc tempus acceptabile. 2°. Cor. 6°. Duo ſunt tempora hominis vnum iuſtitie* &c. Ad calcem: *A quo nos cuſtodiat qui ſine fine viuit et regnat Amen.* Eſt rurſus *Nicolai de Dünkelſpühl*, extatque in edit. *Argentin. fol.* 68.

XII. *fol.* 235. Tractatus *de octo Beatitudinibus.* Incipit pariter absque titulo: *In ewangelio quod legitur in feſto omnium Sanctorum et ſcribitur M^c. 5. enumerat dominus octo beatitudines* &c. Finit: *largiatur nobis omnipotens Dominus trinus et vnus regnans in ſecula ſeculorum amen deo gratias.* Et rubro: *Expliciunt dicta ſuper octo beatitudinibus edita a Venerabili viro Magiſtro Nicolao de Dinkhelſpuchel Doctore Sacre Theologie profeſſore.* In edit. *Argentin.* habetur *fol.* 92.

XIII. *fol.* 269. Epiſtolae binae *Pariſiis* ad aliquem Academiae Viennenſis Doctorem datae de Controverſia inter Academiam Pariſinam et FF. Praedicatores mota occaſione propoſitionum *Joannis de Monteſono.* Prior hujus tenoris eſt: *Scripſi vobis de contrauerſia fratrum predicatorum et vniuerſitatis pariſienſis que condempnauit XIIII propoſitiones, quas vnus fratrum predicatorum in veſperiis ſuis dixit. et ſunt iſte que ſequuntur, quas ipſe aſſeruit eſſe veras et katholicas.* Non adſcribo, cum et in *Bulaei Hiſt. Univ. Pariſ.* T. IV. p. 620. et in *Baluzii Vitis Papar. Avenionenſ.* T. II. p. 991. et alibi extent. *Iſtas propoſitiones condempnauit Epiſcopus Pariſienſis*

(Petrus